

*Ep. II 9 (Plenam dant
nobis preterita fiduciam...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Ep. II 9 (Plenam dant
nobis preterita fiduciam...)*

Cuidam comiti, ut paret se ad procedendum cum ipso contra inimicos.

1. Plenam dant nobis preterita fiduciam de futuris, ut sicut te hactenus ex fide precipuum et industria specialem semper inuenimus ad beneplacita nostra paratum, sic, natiua tuae deuotionis excrescente constantia, quaecumque nostrum et Imperii honorem ac serenitatem respiciunt fideliter et sollicite promptis affectibus exequaris. 2. Cum igitur presentium negotiorum et temporum qualitas exigat fideles quoslibet in nostris seruitiis multo uirilius solito uires et animos exercere, deuotionem tuam requirimus et hortamur, attente mandantes, quatenus, si te umquam dudum obsequiosum nobis et utilem prebuiisti, fructuosiore de cetero ex opere te presentes, ut fide tua per fructuum efficaciam succrescente, erga te munificentiae nostrae dexteram liberaliter extendamus. 3. Inter alias siquidem cogitationes nostri propositi, stabili tenacitate firmauimus ad partes..., in manu forti et brachio extenso, personaliter nos transferre, ut fidelium nostrorum, qui pro fidei nostre nomine et felici statu Imperii personarum pericula et rerum dispendia non uitarint, obedientiam amplis premiorum retributionibus compensemus et effrenem superbiam nostrorum rebellium, qui nunc in absentia nostra forsitan gloriantur, potentiae nostrae malleo conteramus. 4. Nuper enim ad roborandas in melius uires nostras Caloiohannes, illustris imperator Grecorum, dilectus gener noster, magnam nobis quantitatem arceriorum et gentis alterius destinauit. 5. Cum quibus et aliis magnificentiae nostrae presidiis, quae preparauimus instanter, sic ad confusionem nostrorum rebellium proponimus uictoriose procedere,

quod potentiae nostrae uicinitate perterriti, uix adiciant
ut resurgant.